CONCIO

AD

Sanctam Synodum,

AB

ARCHIEPISCOPO,

Episcopis & Clero,

Provinciæ *Cantuariensis* celebratam.

HABITA

In Ecclesia Cathedrali S. Pauli, *London.*
xxx. Die *Decembris.* A D. MDCCI.

Per GULIELMUM SHERLOCK,
Ejusdem Ecclesiæ Decanum.

Jussu Reverendissimi Edita.

LONDINI:
Impensis *Gulielmi Rogers*, ad Insigne Solis è regione Ecclesiæ S. Dunstani occidentalis, in vico dicto *Fleetstreet.* MDCCI.

ERRATA

Pag. 3. *l.* 6. *l.* præcones. *p.* 4. *l.* 9. *l.* maleferiatis. *p.* 17. *l.* 23. *l.* delevit? *p.* 20. *l.* 13, *l.* religionem. *p.* 21. *l.* 13. *l.* articulis, contentis.

Concio ad Synodum
Provinciæ Cantuarienſis.

In Epiſtola Catholica Judæ Apoſtoli, Commate 3. Scriptum eſt.

Πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος γράφειν ὑμῖν περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, ἔσχον ἀνάγκην γράψαι ὑμῖν, παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει.

Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis; deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.

CUM collapſum, & indies in pejus ruentem Eccleſiæ & Religionis Chriſtianæ ſtatum contemplor; cùm Atheorum, Deiſtarum, Socinianorum, & aliorum Hæreticorum jocos & ſcommata & inſulſos

triumphos invitus audio; non tam ſolicitus ſum de Eccleſia periclitante, contra quam portæ Inferorum non prævalebunt, quàm de ſalute hominum, Atheiſmo, infidelitate & hæreſi pereuntium, pro quibus Unigenitus Dei Filius Incarnatus, pretioſiſſimum ſuum effudit Sanguinem.

Veſtrum eſt admodum, Reverendi Patres, pro ſumma veſtra Pontificali Authoritate; noſtrum eſt, Reverendi & Cariſſimi Fratres, pro noſtro gradu & ordine, huic malo fortiter occurrere; & ſanè cum undequaque video tam celebrem & venerandum Virorum piiſſimorum & doctiſſimorum Cœtum, nihil deſperandum puto de fide aut Republica Chriſtianâ, ſi Sociatis Conſiliis, conjunctis viribus, forti & prudenti Zelo, bonum hoc certamen certemus.

Ut demandato mihi Officio aliquo modo perfungar, non ut vos doceam, doctiſſimi Viri, à quibus potius optarem diſcere, ſed ut datum mihi Penſum abſolvam; primò de propoſito certamine dicendum eſt; ſecundò de Fide ſemel Sanctis tradita, pro quâ certandum eſt.

Quod

Quod ad primum attinet, ἐπαγωνίζεσθαι, vel ut vulgata verſio, *ſupercertari*, contentionem ſignificat Zelo & conſtantiâ animatam, ſed qualem defenſio pacificæ fidei poſtulat, & in quantum Chriſtianos, præſertim æternæ pacis Prælones decet. Non ad jurgia & rixas, ad calumnias & ſeditiones, ad bella & cædes, nos provocat Apoſtolus: Sanctus Jacobus aliter Chriſtianos inſtituit, 3 cap. commate 13. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos, oſtendat ex bona converſatione, operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ, quòd ſi Zelum amarum habetis & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum: quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione, fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem.*

Imprimis igitur perneceſſarium eſt, ut pacem inter nos ſanctiſſimè colamus: ſi divinus hic fidei Zelus, fervidus licet & incaleſcens, innocuus tamen ſemper ſit, velut Cœleſtis ille ignis, ut ſaluta-

salutares Solis radii, qui illuminant & calfaciunt, sed sine incendio: Si erga infensissimos Ecclesiæ & fidei hostes, lenis est & mitis, si disputat, si hortatur, si suadet, sed sine supercilio, sine minis, sine opprobriis: an in amicos sæviret, & terrenis affectibus incensus in flammas erumperet, quæ ipsi Ecclesiæ deflagrationem minarentur? Absit Patres, Fratresq; ut tam malè ominarer. Frustra cum maleficiatis hominibus pro fide certabimus; si inter nos ipsos non bene convenit, si domesticæ lites & simultates, & exulcerati animi posthabita inimicorum ratione in mutuam perniciem nos arment & exacuant, & in hostium castra potiùs transire persuaserint, quàm cum amicis & civibus in gratiam redire.

Milites sumus Christi, & quamvis ut Apostolus Paulus Corinthios monuit, *in carne ambulantes, non secundum carnem militemus*; quamvis *arma militiæ nostræ non sint carnalia, sed spiritualia*, artes tamen pugnandi & vincendi utrobique sunt pares: singuli fideles, pro se quisq; vincere possunt, firma fide, & obstinato ad resistendum animo; at si universam Ecclesiam salvam velimus, & cœtui Christiano consulere, si hostium impetus reprimere, & instructas

acies

acies fugare, ſervandus eſt ordo, & diſciplina militaris.

Ut Verbo dicam, Viri docti & pii, ſcribæ *docti in Regno Cœlorum, qui proferunt ex Theſauris ſuis nova & vetera*, multis prodeſſe poſſunt, & magnos triumphos agere de infidelibus & hæreticis, dum ſinguli pugnant; at hoſtes ſubigere, eorumque vires frangere & pacem firmam & ſtabilem conciliare Eccleſiæ, niſi conjunctis viribus, & ritè ordinata acie non poſſumus. Spreto imperio & conculcata diſciplina militari, vel victoria nulla erit, vel elabetur è manibus: Ut planè & apertè dicam; ſiqua eſt in Eccleſia Chriſtianâ Auctoritas & diſciplina, ſi ex Chriſti & Apoſtolorum inſtitutione ſupremum Eccleſiæ regimen penes Epiſcopos eſt qui ſummi ſunt Gregis Chriſti Paſtores, ſi Presbyteri in inferiori gradu & ordine poſiti, ſua etiam habent ſibi demandata officia, ſub inſpectione tamen & Auctoritate Epiſcoporum exequenda, acie hoc ordine inſtructâ certandum eſt pro Fide; quòd ſiquid forte perturbato hoc ordine feliciter fuerit geſtum, infelix tamen erit Eccleſiæ & Fidei victoria.

Nondum verò satis explicatè dixi, quid sit certare pro Fide, sed tantùm quàm pacatè & quo ordine, certandum sit; jam igitur de ipso certamine videamus. *Supercertari*, quatenus nos ipsos respicit, significat animorum vim & impetum constantiâ conjunctum in fide Christiana profitenda, adversus omnes inimicorum insultus, minas, opprobria, mille tandem fallendi & nocendi artes. In hac spirituali militia, *certare* sæpius significat, perferre, sustinere, pati, non recedere, non manus dare; sic vincit Fides, cum fidelis vinctus, incarceratus, & omni pœnarum genere ad mortem usque cruciatus fidem non abdicat. Vincit qui non succumbit, *qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, & fidem servavit.*

Ad hoc certamen ineundum omnes Fideles Militiæ Christianæ Sacramento astricti sunt: Sed nostri officii ratio, Patres Fratresque, si non aliquid majus (quid enim majus, quàm libertatis, facultatum, imò vitæ ipsius jacturam facere?) saltem hoc insuper exigit; ut oves Christi, nostræ curæ commissas, à lupis voracibus diligenter protegamus; non ut *mercenarius*

cenarius, cujus non ſunt oves propriæ, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves. Noſtrum eſt Hæreticorum fraudes & fallacias detegere, nullos recuſare labores, nullâ formidine terreri, ſed id unicè cavere, ne in docendo fidem ſegnes, in vindicando imperiti, in profitendo timidi & vecordes ſimus. 10. Johan. 12.

Hactenus de certamine: Sequitur ſecundò hujus certaminis materia & argumentum, *Fides ſemel ſanctis tradita*, non pro qualicunque Fide certandum eſt, non pro novis pruritientium ingeniorum inventis, utcunque Fidei nomine & titulo decoratis, ſed *pro Fide ſemel ſanctis tradita.* Ubi autem hanc primævam fidem inter tot diſcrepantes opiniones & varias & pugnantes hæreſes invenire poſſumus? Certè in ſacra Scriptura, in ſanctis Evangeliis, in Apoſtolorum Actis & Epiſtolis, ubi innumeras controverſias, quæ Eccleſiam Chriſti diſcerpunt neutiquam inveniemus. Fides eſt traditio, Chriſti ſcilicet & Apoſtolorum, non humanæ rationis partus, non inventum hominum.

Primò igitur pro veritate fidei Christianæ certandum est, contra omnes nominis Christiani hostes, sive Atheos, sive Infideles, qui ipsum Fidei nomen ludibrio habent, & nihil credere cauti esse & prudentis viri putant. Insurgite, Patres Fratresque, hisce humani generis hostibus, qui Deum nobis, vel Religionem, vel Servatorem, & cum eo omnem immortalitatis spem eripere contendunt; qui exuunt hominem, ut Brutorum more vivant & moriantur: qui naturalem Dei cognitionem, & congenitas boni & mali notiones, quantùm possunt, extinguunt, & nec à natura discere volunt nec à Deo, ne quod nollent, discant.

Hi sunt, *quorum sermones, ut Cancer serpunt*, qui indefesso labore tàm verbis, quàm scriptis, vel palam fidem oppugnant, vel insidiis adoriuntur. *Hos*, ut Apostolus loquitur, *oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet*: Vindicemus divinam Majestatem, Existentiam & Providentiam Dei ab Atheorum Philosophia; vindicemus sacras Scripturas ab Infidelium fraudibus & fallaciis, & arte critica.

Conſulamus fidei & ſaluti plebis Chriſtianæ noſtræ curæ commiſſæ, ut ſi obſtinatos infidelium animos nec flectere nec ora obturare valeamus, opprimamus tamen rationum vi & pondere, ut ſaltem modeſtiùs ſe gerant, aut latebras quærant, nec diutiùs clarâ luce in frequentiâ hominum, ipſis inſpectantibus & ſilentibus Paſtoribus graſſentur, & oves diſpergant.

Secundò, Certandum eſt pro fide ſemel Sanctis traditâ, adverſus omnes Hæreticos, & Novatores, qui verè Chriſtianam & primævam fidem corrumpunt, abjiciunt, exſibilant. Hæreticæ pravitates, & perverſa dogmata nudius-tertiùs nata & inventa, non ſunt fides ſemel tradita; nec multum refert, utrum retento nomine Chriſtiano abjiciamus fidem, vel fidem ſimul cum nomine abdicemus.

Salvamur per fidem, ſed per fidem Chriſti, & ſunt inter ipſos Chriſtianos, ſi ſancto Petro credimus, Ψευδοδιδάσκαλοι, *Magiſtri mendaces*, mendaciorum artifices, *qui introducent* αἱρέσεις ἀπωλείας, *ſectas perditionis, & eum, qui eos emit negant*, 2 Petri epiſtola, cap. 2. commate 1. Quid intelligit

git Apoſtolus per hanc negationem Domini? Num Hæretici illi penitùs negârunt Chriſtum? nullo modo; Chriſtiano enim nomine gloriabantur, & perfectiſſimam Chriſtianorum myſteriorum ſcientiam venditabant, ſed de Perſona, vel morte & ſacrificio, vel reſurrectione Domini, turpiſſimè & perditiſſimè errarunt; negabant Dominum, qui eos emit, negando veram de Domino fidem, *ſuperducentes ſibi celerem perditionem.* Salvâ fide, & religione Chriſtianâ; nollem cum Fratribus de minutiis contendere, de levibus conjecturis, de verborum formulis, de explicandi & probandi ratione, ſi nihil planè Hæreticum novo hoc loquendi, docendi, & probandi genere diſſimularent. At cùm ſumma Fidei Chriſtianæ Capita in judicium vocantur, à multis negata, ab aliis quidem diſputata, ab aliis verò pro dubiis & incertis habita, quaſi mera litium & contentionum materia, quæ paci Eccleſiæ donando melius Religioni conſuleremus, quam diſputando: ſi Religio nobis eſt Religionem prodere, quid reſtat niſi arripere Arma, & bellicum canere?

Date

Date veniam, Patres Fratreſq;, ſi æſtuet ſi impetu quodam feratur Oratio in vindiciis Chriſtianæ fidei contra certos inimicos & incertos amicos.

Eccleſia Chriſti ædificata eſt ſuper Petram, fidem ſcilicet Jeſu Chriſti *filii Dei vivi*: propter hanc confeſſionem, Jeſus Petrum beatum prædicat, *Beatus es tu Simon Petre, quia caro et ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt; & dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, 16 Math. com. 16, 17, 18. Hæc eſt Fides ſemel Sanctis tradita, ipſa baptiſmalis Fides, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, & quo fortiùs & animoſiùs pro hâc fide certetis, breviter oſtendam, Eccleſiam Chriſtianam ſuper hanc Petram fundatam eſſe: Salvo quidem hoc Fundamento, ſalva eſt Eccleſia; ſublato ruet.

Omnis ſpes ſalutis in ſolo Chriſto poſita eſt; *ſic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

nam. Ille nos redemit ſuo Sanguine, ille eſt unicus Mediator Deum inter & homines, melioris Teſtamenti Mediator, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt; non opus eſt, ut hæc apud vos memorem, quibus notiſſima ſunt, utpote quæ utramque Evangelii paginam faciant; ſed nunquam rectè intelligere poſſumus, quæ Chriſtus fecerit & paſſus ſit, pro humani generis ſalute, nec cur Deus hæc Chriſtum facere & pati voluerit pro redemptione hominum, ſine Catholica fide æternæ generationis, & veræ Incarnationis Unigeniti Dei Filii; hoc autem dato & conſtanter credito, ſponte ſeſe aperiunt involuta illa, at ſtupenda & adoranda divinæ Charitatis, & Sapientiæ, Miracula, dicam, an Myſteria?

Hæc fuſius exponere, non præſentis eſt inſtituti; brevi igitur ſumma Capita percurram, ut quid ſit Chriſtiana religio, & Chriſtianus cultus, & Chriſtiana Fides, planiùs & diſtinctiùs appareat.

Jeſus natus Infans, & à Parentibus coram Domino in Templo oblatus, ſecundùm legem Moyſis, in Simeonis hymno

ſalutare

ſalutare Domini, τὸ σωτήριον, nuncupatur, & veriſſimè quidem, ſi unigenitus Dei Filius Incarnatus eſt.

Redemptio humani generis non eſt abſolutè redemptio omnium & ſingulorum hominum; ſed eſt redemptio humanæ naturæ; in quâ novum gratiæ & reconciliationis Fœdus cum humano genere ictum eſt.

Primus igitur reconciliationis gradus eſt Incarnatio; cùm Unigenitus Filius Dei factus eſt homo, & æternum verbum, quod *erat in principio, & erat apud Deum, & erat Deus, factum eſt caro, & habitavit in nobis*, Si Unitas ſignificat pacem, certè humana natura aſſumpta in unitatem Perſonæ Filii Dei, qui cum Patre unus eſt, cum Deo in pace eſt, ſi unigenitus Filius Dei eſt Deo Charus.

Notandum enim eſt, quòd Chriſtus non aſſumpſit Perſonam hominis, ſed humanam naturam; non hominem ſibi conjunxit, ut Neſtorius ſomniavit, ſed homo eſt factus.

Si hominem ſuſcepiſſet in arctiſſimam licet ſocietatem, humano generi nihil profuiſſet; ſervaſſet ſuſceptum hominem, ſed unius ſo-

lùm hominis ſalus eſt, nec ad alios ſe extendit. Humana verò natura communis eſt humano generi, & quicquid accreverit humanæ naturæ publicum eſt beneficium, & ad omnes pertinet.

In lapſu Adami, qui unicus erat homo, non ipſe Adamus ſolus lapſus eſt, ſed in eo lapſa eſt humana natura, in quo tota erat; in eo inquinata eſt natura, in eo morti addicta: eadem lege renovari & reſtitui & Deo reconciliari humana natura poteſt, & eo nomine Chriſtus ſecundus eſt Adamus, qui humanam naturam, in ſuam Perſonam recipiens, ſanctificavit, redemit, & deo Patri conciliavit. Hoc eſt myſterium Incarnationis, reconciliatio humanæ naturæ Deo Patri in Perſona Filii, quod ſummum eſt argumentum benevoli erga homines animi, cùm ex Patris beneplacito & decreto Unigenitus Filius induit hominem, & cum hominibus in terra verſatur. Qui Chriſtum merum hominem, non Deum in carne manifeſtatum prædicant, eripiunt nobis ſummam hanc conſolationem, certiſſimum hoc divini amoris pignus, & pro Servatore merum Prophetam ſubſtituunt.

Chri-

Chriſtus ſe morti obtulit pro ſalute hominum, ad expianda peccata, ad placandum Deum, ut novum gratiæ fœdus proprio ſanguine ſanciret. Quæ & quales jam oriuntur quæſtiones, & quàm explicatu difficiles? Cur peccata per mortem expianda ſunt? Cur vir innocens, juſtus, & pius, pro impiis moriatur & puniatur? Quo jure unius morte pro humano genere expiatio fiat? Difficiles ſanè quæſtiones, & quantùm ego video, inexplicabiles, ſi nihil ſupra hominem in Chriſto agnoſcimus; adeò ut non mirandum ſit, Socinianos, qui æternam Deitatem Chriſti præfractè negant, de ſacerdotio etiam & ſacrificio Chriſti quàm peſſimè ſentire. Sed cùm Unigenitus Dei Filius ſit ſacerdos & ſacrificium, nec de ſacerdotis auctoritate, nec de ſacrificii merito dubitari poteſt. Sacerdotis dignitas, qui Patri cariſſimus & acceptiſſimus eſt, omnia ſua dona commendat, & grata facit; ſacrificium offert, quale decet, pro humano genere; non merum hominem, qui pro ſe tantum mori poteſt, ſed humanam naturam, quæ eſt omnium hominum, & ſi ſacrificium ſit, pro omnibus eſt expiatio: non tamen corruptam &

depravatam naturam, quæ piaculum eſt, non ſacrificium, ſed innocentem, puram, ſuam, ſine maculis, ſine defectu, ad perfectiſſimam ideam humanæ naturæ abſolutam & ſupra humanam ſortem hypoſtatica unione divinam.

Humana natura in Adamo, in quo, ut prius dixi, tota erat, lapſa eſt, & morti adjudicata: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*, ipſo ortu ſcilicet peccatores, utpote naturam lapſam, peccatricem, & ſub mortis reatu, a primo Parente habentes.

Ut reſtituatur igitur humanum genus, & à morte vindicetur, primò expianda eſt humana natura; ſed quo ſacrificio & à quali ſacerdote litandum eſt? Certè non peccatrice naturâ, non mero homine igitur vel ſacrificio vel ſacerdote, qui ipſe mortis reus, moriendo, pœnas luit, non litat, & cùm ipſe peccator ſit, digniori ſacrificio & ſacerdote ipſe indigeat. Nec alio tamen ſacrificio humana natura expianda eſt, quàm per mortem humanæ

manæ naturæ; nec per ullum pontificem, qui non sit homo. Humana natura in Adamo homine lapsa est & peccavit; per hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; per mortem igitur humanæ naturæ, sed innocentis, repurgatæ, sanctificatæ, & in persona hominis Pontificis, sancti itidem, pii, justi, ad mortem usque obedientis, & omnibus numeris absoluti & perfecti, placandus est Deus, satisfaciendum est legi, mortem minanti, expianda est natura, id est, à maledicto legis, & dominio mortis liberanda, & in primævum divini favoris & immortalitatis statum restituenda: sed ubi puram ac defœcatam naturam humanam pro sacrificio, & perfectè justum, pium, Deo gratissimum hominem pro pontifice & mediatore invenire possumus nisi in filio Dei Incarnato, qui humanam suam naturam repurgavit, & Deo gratissimam hostiam obtulit; & obedientia sua usque ad infamem mortem, peccatum in suâ carne condemnavit, & inobedientiam primi hominis delevit; *igitur sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam*

am justi constituentur multi, 5 ad Rom. Com. 18.

Nondum autem plena est redemptio, nisi devictâ & triumphata morte, quod supra merum hominem, supra humanas vires est, sed à Pontifice nostro præstandum, si humanam naturam salvam velit. Persona humana moriens & resurgens pro se mortem vincit, non pro humana natura, nec pro alio quolibet homine, sed natura humana in Personâ Pontificis, pro peccatis expiandis ad mortem oblata, & impletâ moriendi lege, ad immortalem vitam resuscitata plenam fidem immortalitatis humano generi facit; jam enim naturam humanam immortalem videmus, quod jus immortalitatis humano generi restituit: Et prout omnes morimur in morte humanæ naturæ, quæ in Personâ Adami morti adjudicata erat, sic & resurgimus in resurrectione humanæ naturæ in Persona Christi; non certè eadem ratione; nascendi lege mortales sumus, renascendo immortales; sed abolitâ morte & recuperatâ humanæ naturæ immortalitate, jam locus est fœderi gratiæ, quo novum jus immortalitatis

litatis omnibus in Chriſtum credentibus & Spiritu Chriſti renatis, confertur & ſtabilitur.

Hæc eo fine paucis expoſui, ut omnibus conſtet, quàm neceſſarium ſit credere Jeſum Chriſtum æternum eſſe & unigenitum Dei filium incarnatum; hoc enim fundamento ſublato, actum eſt de religione Chriſtiana: Pro hac fide primævi Eccleſiæ Patres ſummo ſtudio & infractis animis certarunt, contra Sabellianos, Arianos, Samoſatenos, Neſtorianos, Eutychianos, & omnes Hæreticos, qui Chriſtum vel verum Deum, vel verum hominem, vel verum Deum & verum hominem in unâ Perſonâ negarunt, & quod dolendum eſt, pro glorioſo hoc certamine, ut inepti, indocti, nugivendi, litigioſi, imò hæretici & Tritheiſtæ, in infelici hoc noſtro ſeculo paſſim audiunt. At nihil profectò ſanum eſt in Religione Chriſtiana, ſine Deo Incarnato, ſummo noſtro Pontifice, & novi fœderis Sponſore & Mediatore. Si Chriſtus eſt merus homo, nec propriè dictum ſacrificium eſt, nec Sacerdos in religione Chriſtianâ, quod Sociniani faten-

fatentur & contendunt; omnis igitur religio ad naturam revocanda eſt, in quo tàm Deiſtæ quàm Sociniani conveniunt, licet in partes abeant; ut hoc obiter moneam, Theologi noſtri, qui de naturali religione honeſto Zelo, ſed incautè philoſophantur, huic malo incrementum & vires dedere: cùm jam diu obſervaſſent, quanto in pretio philoſophia & naturæ lumen apud multos eſſent, ut hi philoſophiæ & naturalis rationis cultores, cum religione Chriſtianâ in gratiam redirent, Fidem Chriſtianam ad philoſophiam, & religionen quam vocant naturalem, miris laudibus & præconiis ornatam, revocarunt & eo præſertim nomine Evangelium præferunt, quod naturæ leges perfectiùs doceat, & diviniorem philoſophiam. Sed præter opinionem accidit, quod philoſophiæ & religionis naturalis prætextus, religionem Chriſtianam vel corrupit, vel mutilavit, vel extinxit: Nec aliud ſanè, ſi rem rectè æſtimâſſent, expectandum fuit; cùm enim ad philoſophiam & naturalem rationem provocaſſent, naturalis ratio, non Evangelium, velint, nolint, erit fidei norma, & judex.

Sed

Sed me reprimo, niſi enim tempus elapſum eſſet, multa habui dicenda de tertio certamine, pro ſimplicitate ſcilicet fidei Chriſtianæ; ut Religionem Chriſtianam primævæ ſimplicitati reſtituere conemur, ut philoſophicis manicis & compedibus reſolutis, quibus jam diu conſtricta tenetur, in verè Chriſtianam libertatem vindicemus; ut reſciſſis inutilibus quæſtionibus, quæ lites & rixas movent, puram fidem, & inculpatam morum ſanctitatem, exemplis, ſcriptis, voce, Chriſtianam plebem doceamus.

In omnibus Fidei articulis contenti ſcire, quid Chriſtus & Apoſtoli clarè & apertè docuerunt, nihil occurret, niſi quod grave & divinum, quod intelligi poteſt, quod apud omnes ferè Chriſtianos, in confeſſo eſt, quod potenter influit in animos & mores hominum.

Si fidem Chriſtianam de more prurientium ingeniorum ad Ethnicæ philoſophiæ normam exigimus, , jam omnia levia, puerilia, incerta, nulli ſtabili fundamento vel ſcripturæ vel rectæ rationis innixa, ſed fallaciis, & conjecturis utrinque certatur, quæ lites & verbo-

rum certamina concitant, Religioni verò & pietati vel officiunt vel nihil prosunt. Hæc est fundi nostri calamitas; omnes philosophorum sectæ mutatis tantum nominibus, etiam Christianas scholas distinguunt, & quæ in porticu disputari solebant, jam in Templis resonant.

Nunquam sua religioni Majestas & reverentia constabit, nisi repurgata fide Christiana à philosophicis nugis & quisquiliis. Cùm sacra oracula tractamus, divina auctoritas animos demulcet, & in obsequium flectit, & ipsa rerum magnitudo & excellentia summam reverentiam conciliat; sed nihil magis religionem minuit, & Atheis deridendam exponit, quàm fidem minutatim discerpere, & omnia disputando, omnia incerta reddere, innumerisq; quæstionibus, quæ à Religione penitùs alienæ sunt, pulcherrimam veritatis faciem deturpare.

Vexatissimæ istæ quæstiones de libero arbitrio & naturæ viribus, de prædestinatione & fato, de concursu Dei cum creaturis, & dependentia creaturarum, quoad omnes & singulos actus à prima causa, cum multis aliis ejus-

ejuſdem Farinæ, non tam è Scripturis, quàm ex putidis philoſophorum lacunis hauſtæ ſunt.

Hæc olim diſputabantur ante natam Eccleſiam Chriſtianam, Chriſtus tamen & Apoſtoli iſtas controverſias nullo loco numerarunt, cùm tàm facili negotio haſce turbas divinâ authoritate ſedare & compeſcere potuerint: Etiam in hiſce quæſtionibus, quæ ad omnes pietatis uſus ſufficiant benè nota ſunt, de Adæ ſcilicet lapſu, de humanæ naturæ corruptione, de predeſtinatione noſtra in Jeſu Chriſto, de regenerante, renovante, auxiliatrice Spiritus Sancti gratiâ, ſed philoſophicæ de hiſce articulis diſquiſitiones ipſos articulos in quæſtionem vocant & vel Fidelium animos excruciant vel labefactant fidem.

Sed ut tandem finem dicendi faciamus; Ecce Patres Fratreſque, bonum certamen, Chriſtianis Paſtoribus digniſſimum! in hâc Palæſtra nos dies & noctes exerceamus, invigilemus gregi Chriſti, de fide, de ſalute animarum piè ſoliciti, animis ad omnia paratis, & ad omnia, quæ vel proſint, vel noceant, intentis. In hunc finem omnia noſtra conſilia dirigamus, omnes animorum intendamus nervos;

ſed

ſed ſedulò caveamus, ne inpingamus in limine, & intempeſtivis querelis, ne quid graviùs dicam, eccleſiaſtica jura, & eccleſiæ pacem & diſciplinam violemus. Epiſcopali & Metropoliticæ dignitati ſuus ſalvus ſit honos, ſalva authoritas, nos, qui inferioris ſumus ordinis, ne æqualia jura meditemur, catholicæ eccleſiæ ignota, ignota, quantum apparet, ſanctiſſimæ noſtræ matri, eccleſiæ Anglicanæ: cum undique hoſtibus obſepti ſumus, qui intus & foris vi & dolis adoriuntur, quantopere decet, & quàm neceſſarium eſt, ut qui ſub eodem vexillo meremur, inter nos amicè conſpiremus, & conjunctis viribus, eccleſiam hanc, ſiqua alia, verè Chriſtianam & Apoſtolicam, ab hæreticorum & ſchiſmaticorum inſidiis & ſtrophis protegamus? *Quod faxit Deus pro ſumma clementia & miſericordia ſua propter merita Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu Sancto, ſit omnis Honos, Laus, & Gloria in ſecula ſeculorum.* Amen.

BRITANNICVM

FINIS.